

art. 1. *Conirod.* 2. *Gonet tom. 5. tract. 8. disp. 7. art. 1.* Casianus à S. Eliâ tom. 1. *verb. impedimentum, cap. 1. §. 2. & seqq.* Raynerius de Piffis tom. 1. *verb. imped. tit. 1. num. 1.*

55. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. *dist. 33. q. 1. & seqq.* Mastrius in 4. *disp. 7. q. 11. art. 1. & 2.* Macedo de *Clavib tract. 6. de Matrim. cap. 9.* Boscus tom. 6. *disp. 12. sect. 1.* Durand tom. 4. *tract. 5. disp. ult. q. ult.* Poncius *tract. 11. disp. 49. q. 8.* Castillentus in *Polyanth. Seraph. verb. impedim. diff. 1. num. 1. & seqq.*

56. Ex Scholâ Eximiâ Carleton tom. 2. *disp. 104. sect. 1.* Layman *tract. 10. p. 4. cap. 1.* Henriquez *lib. 11. cap. 1.* Palao tom. 5. *disp. 4. punct. 1. num. 3.* Valentia tom. 4. *disp. 10. q. 5. punct. 1.* Dicastillo tom. 3. *tract. 10. disp. 7. dub. 2.* Platelus tom. 5. *cap. 7. §. 7.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 3. num. 7.* Mart. Perez de *Matrim. disp. 21. sect. 5. & seqq.* Bellarm. *lib. 1. de Matrim. cap. 32. & 33.*

57. Ex aliis D. Bonaventura in 4. *dist. 42. q. 2. art. 2.* Basilius Ponce *lib. 6. cap. 2. num. 3.* Gayardi tom. 6. *q. 3. de Matrim. art. 1.* Bassao *verb. Matrim. num. 3.* Diana 5. *p. resol. 15. & p. 7. tract. 1. resol. 23.* Leander tom. 2. *tract. 9. q. 1.* Bonacina de *Matrim. q. 3. & 4. punct. 1. & seqq.*

58. QUEST. 7. An, & quomodo incestus dirimat Matrimonium? De quo, *dist. 41. q. 11. §. 3.*

59. QUEST. 8. An divortium sit licitum, & quas ob causas? De quo *dist. 33. q. 4.*

60. QUEST. 9. An adulterium sit semper causa sufficiens ad divortium? De quo, *dist. 33. q. 6.*

61. QUEST. 10. An possint, ac debeant conjuges divortari? De quo, *dist. 33. q. 5.*

62. QUEST. 11. An divortium differat à repudio? De quo, *dist. 33. quest. 4.*

63. QUEST. 12. An, & cur magis ex fornicatione, quam ex peccato alio divortium fieri debeat? De quo, *dist. 33. q. 6.*

64. QUEST. 13. Ad quorum relationem, & testificationem divortium fieri debeat? De quo, *dist. 33. q. 4.*

65. QUEST. 14. An Princeps possit statere impedimentum divortii? De quo, *dist. 33. q. 4.*

66. QUEST. 15. Ex Anglica Scholâ D. Thomae in 4. *dist. 33. q. 4.*

67. QUEST. 16. An Princeps possit statere impedimentum divortii? De quo, *dist. 33. q. 4.*

68. QUEST. 17. An Princeps possit statere impedimentum divortii? De quo, *dist. 33. q. 4.*

69. QUEST. 18. An Princeps possit statere impedimentum divortii? De quo, *dist. 33. q. 4.*

70. QUEST. 19. An Princeps possit statere impedimentum divortii? De quo, *dist. 33. q. 4.*

71. QUEST. 20. An Princeps possit statere impedimentum divortii? De quo, *dist. 33. q. 4.*

DE DIVORTIO EX ADULTERIO SEQUITO. DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-QUINTÆ SYNOPSIS.

*Non mœcha mœchum, si vult, tamen absque viri spe,
Vivo illo alterius, mittere jura sinunt.*

Sic incipit: Hoc etiam tenendum est.

Sic definit: Prohibentur copulari.

1. **C**onnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de Matrimonii impotentia, & legitimitate contrahentium, quæ ipsius matrimonialem actum impedit; sed in præsentî determinat de separatione tori, fornicationis causâ, sive divortio ex ipsâ proveniente, quæ etiam matrimonialem actum retardat, vinculo Matrimonii durante: igitur hæc distinctio consonat superiori.

2. Consequentia probatur: Divortium sive tori separatio, causâ fornicationis, necessariò præsupponit Matrimonium contractum; cum non valeant separari à toro, qui conjugali vinculo non astringuntur: ergo prius agendum erit de impotentia, & legitimitate contrahentium Matrimonium, ut hoc stabiliatur, aut infirmetur, quàm de illius divortio sive tori separatione, fornicationis causâ; sed sic processit Magister: ergo aptè cum antecedenti connectitur hæc distinctio.

3. Dividitur præsens distinctio in duas solummodò, ac præcipuas partes. In quarum primâ ostendit Magister, qualiter fornicationis merito uterque conjugum possit dimittere alium. In secundâ verò subdit, nullum posse in Matrimonium ducere, quam turpiter polluit in adulterio.

4. **PRO PRIMÆ** igitur partis clarâ ostensione, hoc primum præfigitur theoremata: *Etsi fornicationis causa vir dimiserit uxorem, alteram tamen ea vivente non valet ducere.* Quod expressè statuit Magister, dum sustinet in litterâ, quod sicut licet viro fornicationis causâ dimittere uxorem; ita eadem de causâ licet uxori dimittere virum.

5. Hoc etenim primò probat Magister ex Hieronymo lib. de mor-
Tom. V. G te

te Fabiolæ, & habetur dist. 32. quæst. 5. cap. *præcipit*, his verbis: *Quicquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat ad feminas. Non enim adultera uxor dimittenda est, & vir mœchus tenendus.* Ergo si quod præcipitur viris, redundat ad feminas, & uxor adultera non est dimittenda, & vir mœchus tenendus, rectè deducitur, quòd sicut licet viro fornicationis causâ dimittere uxorem; eadem etiam de causâ erit licitum uxori dimittere virum; ac proinde si vir fornicationis dimiserit uxorem, alteram tamen eâ vivente non valet ducere.

6. Secundò, etiam ex Innocentio Papâ Primo, epist. 2. quæst. 5. cap. *Christi*, præmunit assumptum: *Christiana Religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat.* Sed dum Christiana Religio pari ratione adulterium in utroque sexu condemnat, si licet viro fornicationis causâ dimittere uxorem; & huic licitum erit ob eandem causam admittere virum; nec alter eorum ad secundas poterit transire nuptias alio superflite conjugè.

7. Tertio, ex dictis similiter valet ratione theorema probari: Si quis uxorem dimitteret, exceptâ fornicationis causâ, reverâ licitè non dimitteret; sed dum hæc excipitur causâ, vera est exceptio apposita à Magistro in litterâ ex Matthæi cap. 19. Ergo dimittere uxorem, fornicationis causâ, licet; sed suppar est jus in utroque conjugè ad alium dimittendum fornicationis causâ: ergo adinvicem unusquisque poterit alium ob hanc causam dimittere conjugem, quin ad aliud valeant connubium accedere, vitam utroque degente.

8. Quarto: Alter conjugum non habet in corpore alterius potestatem, nisi quia sunt corporis ei jus præstat; sed dum conjux mœchatur, subtrahit, quantum est in se, potestatem sui corporis: ergo amittit jus in alterius conjugis corpus; sed dum sic subtrahit sui corporis potestatem, licet alteri separari ab illo: ergo causâ fornicationis, æquo pollent conjuges jure, ut possint à toro separari; non verò ipsis viventibus, aliis de novo copulari.

9. Quintò: Vir non tenetur cohabitare cum uxore, ipsique debitum reddere, nec è contra, nisi ratione bonæ fidei, quæ est unum ex præcipuis Matrimonii bonis; sed dum vir, aut uxor vetitum sollicitant torum, bonum fidei conjugalis frangit: ergo alter conjux non tenetur debitum reddere, nec cohabitare; consequenterque fornicationis causâ poterit illum dimittere; non autem vivente conjugè alium sibi in Matrimonium assumere.

10. Oppones primò: In lege repudii vir & uxor non arbitrabantur pares: ergo nec in divortii lege vir & uxor debent judicari pares. An-

recedens probatur: Juxta repudii legem vir uxorem, non uxor recufabat virum: ergo quia vir & uxor in lege repudii non erant pares: sed æquè discursandum venit de divortio; ac repudio: igitur vir & uxor inæquali pollent jure in lege divortii; proindeque estò vir possit dimittere uxorem causâ fornicationis; non poterit uxor ob eandem causam dimittere virum.

11. Respondetur negando Consequentiam. Ad probationem negotii Minorem & Consequentiam. Nam divortium, & repudium sub eadem non comprehendebantur lege. Primò, quia repudium operabatur ex indebitâ causâ; divortium verò ex debitâ. Secundò, quia post repudium non prohibebantur conjuges nubere; post divortium autem prohibentur. Undè, etsi in repudio indicentur impares; tamen in divortio arbitrantur pares; quia mulier, estò vi primi peccati, sit subjecta viro; post reconciliationem verò Christi, in quo non est servus, nec liber, nec masculus, nec femina, omninò quantum ad legem tori judicantur pares.

12. Oppones secundò: Gemino adulterante conjugè non potest alter ab altero separari; sed majus flagitium arbitratur, dum uterque mœchatur, quam alter: ergo si non licet ex majori culpâ divortium fieri, nec ex minori: ergo fornicationis causâ non poterit vir uxorem dimittere, nec è contra.

13. Respondetur negando Consequentiam & simile. Nam divortium nunquam suum valet sortiri effectum, nisi altero petente, & altero conjugum propulsante; quia uterque reus est criminis, non habet actionem in alterum, juxta illud Pauli Rom. cap. 2. & habetur in litterâ: *In quo enim alterum judicas, te ipsum condemnas.* At dum alter est innocens, in alterum agere potest, divortiumque omninò perficere.

14. Oppones tertio: Non minus proles est bonum Matrimonii, ac conjugalis fides sit ipsius Matrimonii bonum; sed licet alter conjugum sit sterilis, non licet dimitti: ergo nec quanvis fides conjugalis non servetur, non erit licitum conjugi alium dimittere; sed fides, quæ est Matrimonii bonum, dissolvitur vicio fornicationis: igitur nec viro, nec mulieri erit licitum, alterum dimittere causâ fornicationis.

15. Respondetur negando Consequentiam, & instantiæ paritatem. Quia sterilitas, sive prolis defectus potest esse sine crimine, vel saltum sine peccato in corpus viri, cum à causis naturalibus, sive accidentalibus absque ullâ propria conjugis peccaminosâ actione provenire valeat. At mœchus graviter peccat in alterius conjugis corpus; ideoque vicio fornicationis potest ab alio dimitti conjugè, non verò sterilitatis causâ.

16. Modò ergò expressius suam probat conclusionem Magister,

nempè, quòd si vitio fornicationis vir dimiserit uxorem, alteram eã vivente non potest ducere, sed continere oportet, vel ad dimissam redire. Primò autoritate Pauli Corint. cap. 7. *His, qui Matrimonio conjuncti sunt, precipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ergo dum uxor fornicationis causã à viro descedit, debet manere innupta, aut viro suo reconciliari; non verò eò vivente ad alias migrare nuptias.

17. Secundo ex Augustino lib. 1. de serm. Domin. in monte cap. 26. dicente: *Sicut nubere uxori non conceditur viro viro à quo recessit; sic neque huic alteram ducere viva uxore, quam dimisit.* Ergo etsi fornicationis vitio liceat viro dimittere uxorem, & huic ob eandem causam discedere à viro; tamen non poterit vir aut mulier in aliam transire copulam alio conjugè superstitè.

18. Tertio ex eodem Augustino lib. 2. de adult. conjug. cap. 6. sic alloquente: *Quod tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur conjux, si fides adsit, non erit durum.* Sed licet difficile appareat, ut post adulterium reconcilietur conjux; tamen absolutè reconciliari valet: ergo post divortium fornicationis causã operatum, nequit conjux, altero vivente, alium in Matrimonium ducere, cum possit, & non sit arduum, conjugi dimisso reconciliari.

19. Quarto, etiam ratione suaderi valet: Inter personas legitime Matrimonium contrahentes manet vinculum conjugale toto tempore earum vitæ; sed dum toto vitæ contrahentium tempore manet vinculum conjugale, nec separatio, nec divortium, nec conjunctio cum alio, nec quidquam aliud valet Matrimonium dissolvere: ergo quanvis vir aut uxor fornicationis causã separentur, non licet ipsis hæc de causã novas nuptias cum aliis adire.

20. Quinto: Si divortio celebrato vi fornicationis, posset vir aliam ducere uxorem, posset etiam uxor alium accipere virum, eò quòd tunc Matrimonium dissolveretur: ergo quotiescunque uxor vellet stabili connubio sibi jungere; aut vir optaret aliam sumere uxorem, posset mœchando id assequi; sed hoc ab omnibus maximum censetur absurdum: igitur divortium, adhuc fornicationis gratiã celebratum, nihil confert, quominus conjux innocens aliud cum altero valeat celebrare connubium.

21. Sexto: Si fornicatio, sive divortium illius causã celebratum dissolveret Matrimonium, vir cognoscens uxorem peccaret mortaliter; sed vir cognoscens uxorem ob finem honestum, sive propter bonum prolis non peccat mortaliter: ergo etsi divortium fornicationis causã

celebratum separet conjuges, non tamen Matrimonium dissolvit. Major probatur: Vir cognoscens uxorem non suam, mœchatur; sed si ex quo fornicata est uxor dissolveretur Matrimonium, jam vir non cognosceret uxorem suam: ergo si divortium solveret Matrimonium, vir suam cognoscens uxorem peccaret mortaliter, quod prorsus alienum à ratione arbitratur.

22. Oppones primò: Juxta traditum à Matthæo cap. 19. qui uxorem dimittit, & aliam ducit, exceptã fornicationis causã, mœchatur: ergo si præfata exceptio est recta, licet ex fornicationis causã uxorem dimittat, & aliam ducat, non mœchatur; sed dum vir thalamum conjugalem non violat, censetur, primum fuisse absolutum conjugium: ergo non solum vi fornicationis licet dimittere uxorem, sed & aliam ducere.

23. Respondetur negando primam, & ultimam Consequentiam. Nam non sequitur, licet ex fornicationis causã dimittere uxorem: ergo & aliam ducere; quia exceptio illa non comprehendit utrumque actum, quippè dimissionem propriæ uxoris, & admissionem alienæ; sed solum ad unum refertur actum, scilicet dimissionis, aut separationis tori, sive cohabitationis; sicque instantia non urget.

24. Oppones secundo: Si celebrato divortio, Matrimonium omnino non dissolveretur, vir in aliquo teneretur uxori; sed dum causã fornicationis celebratur divortium, vir in nullo teneretur uxori: ergo vi fornicationis erit permixtum viro dimittere uxorem, aliamque ducere. Minor probatur: Divortio celebrato fornicationis vitio, nec quantum ad debitum solvendum, nec quoad cohabitationem teneretur vir uxori: ergo in nullo teneretur; sed dum vir in nullo teneretur uxori, sive à lege illius extat omnino solutus, haud dubiè aliam ducere valet: ergo non solum dimittere uxorem, verum & in aliam abire copulam licet viro fornicationis causã.

25. Respondetur negando Consequentiam. Ad probationem negotii Minoris & Consequentiam. Quanvis enim in nullo teneatur vir uxori post divortium celebratum, nec è contra, uxor in iis non subjaceat viro; tamen ex vi sacramentalis fœderis, seu vinculi est alligatus quando vivit, ita ut non possit ratione divortii, aut dimissionis ad alias transire nuptias; quod reverà efficere valeret, si ratione conjugalis vinculi omnino solutus maneret.

26. Oppones tertio: Per Matrimonii Sacramentum consequitur duo esse in carne unã: ergo per actum hanc unionem evertentem destruitur Matrimonii Sacramentum; sed vir adulterando suum dividit

carne, ita ut duo non sint in carne unâ: ergo fornicationis causâ dissolvitur Matrimonium; ac proinde poterit vir dimittere uxorem, aliamque ducere.

27. Respondetur, non esse de essentiâ Sacramenti Matrimonii, carnem esse indivisam, sive duo esse in carne unâ, sed duntaxat de dignitate, & decore ipsius Sacramenti. Unde, etsi caro alterius conjugis dividatur vitio fornicationis, semper sunt conjuges duo in carne unâ ob mutuum corporum legitimam translationem, vinculumque indissolubile ex ipso conjugali contractu resultans.

28. Oppones quartò: Quod bene & rectè semel diffinitum est, nullâ debet iteratione retractari; sed divortium non propriâ conjugum potestate, sed Ecclesiæ diffinitione celebratur: igitur non possunt amplius reconciliari; sed debent sic contineri, aut ad alia transire connubia.

29. Respondetur Majorem propositionem esse veram quantum est de rigore juris; non verò quantum est de favore, & arbitrio personæ innocentis. Quia ex quo persona innocens non peccavit, non manet jure suo orbata; sicque uxor casta potest petere virum suum adulterum jam pœnitentem, & ipse invitus, sive reluctans debet reconciliari per judicium Ecclesiæ, juxta illud Juris satis tritum axioma: Quod in meum favorem introductum est, in meum damnum non debet retorqueri.

30. Oppones quintò: Qui apud judicium Ecclesiæ petiit divortium de conjugè mœchante, & obtinuit, reverà liberè renunciavit juri petendi debitum; sed ex eò quòd liberè renunciaverit juri petendi debitum, non habet jus, ut denuò reconcilietur conjugi: ergo semel celebrato divortio fornicationis scelere, non potest conjux adhuc innocens nocentem reconciliare sibi; proindeque ad alias nuptias progredi poterunt.

31. Respondetur, virum, aut fœmiam alterius conjugis mœchantis patentem divortium, non renunciare juri suo simpliciter petendi debitum; sed solum ad tempus, quosque conjux à vitio se absteineat, & pro adulteriis publicè patris ad pœnitentiam convertatur; sicque poterit tunc uti jure suo, quasi præoccupato, & alium sibi reconciliare conjugem.

32. Ulteriùs subdit Magister, quòd si vir adulteram pœnitentiam non agentem, & in fornicationis turpitudine permanentem retinere vellet, in crimine sibi participare videretur: ergo vir uxorem suam publicè mœchantem, & in adulterio perseverantem tenetur dimittere ex præcepto; secus si occultè mœchatur, aut convertitur ad pœnitentiam. Hoc enim aliquibus ex Patrum satis expressis testimoniis præmunet Magister.

33. Primò ex Chrysoftomo hom. 32. in Matthæum ita alloquente: *Sicut crudelis, & iniquus est, qui castam dimittit, sic fatuus est, & iniquus, qui retinet meretricem.* Sed vir tenetur ex præcepto uxorem castam servare, cohabitareque cum illâ, aliàs ipsam dimittendo foret crudelis, & iniquus: ergo meretricem, publicèque uxorem mœchantem tenetur ex præcepto dimittere vir; aliter fatuus vecors, & iniquus jure optimo foret.

34. Secundò ex eodem Chrysoftomo ibidem sic detegit assumptum Magister: *Patronus enim turpitudinis est, qui celat crimen uxoris.* Ergo vir tenetur haud celare crimen uxoris, ne turpitudinis patronus videatur esse; sed dum uxorem adulteram pœnitentiam non agentem, & publicè mœchantem non dimittit, ejus crimen celat, efficiturque turpitudinis author: ergo ne his subiaceat criminibus vir, tenetur, uxorem sic operantem dimittere.

35. Tertio ex Maximo Hieronymo hom. 26. in Matthæum etiam his suadet verbis: *Cum mulier unam carnem in aliam dividerit, non debet teneri; nè virum quoque sub maledictio faciat, dicente Scriptura: Qui tenet adulteram, stultus est, & insipiens.* Ergo qui adulteram publicè mœchantem retinere tentat, sub maledictio facit; estque stultus, & insipiens: ergo vir tenetur dimittere uxorem ita peccantem, ne iis aliisque hujuscemodi merito afficiatur conviciis.

36. Quartò ratione suadet: Animadvertere uxorum, sive ipsius crimina cohibere, propriissimum viri censetur munus: ergo dum vir maritali affectu cohabitatur enim uxore adulterâ, reverà crimini consentire videtur, illiusque efficitur reus; sed vir tenetur sceleri non consentire, nec fieri reus: ergo sub eodem cogitur præcepto eam dimittere.

37. Sed oppones primò: Vir non tenetur continere, nisi velit; sed si uxorem dimitteret, teneretur continere: ergo non tenetur ob turpitudinis publicum crimen dimittere uxorem; cum continere non teneatur, nisi velit.

38. Respondetur negando Consequentiam. Quia, etsi vir non teneatur continere, nisi velit; tamen respectu uxoris, his defectibus committis publicis laborantis, tenetur ad tempus continere, quin amittat jus in uxorem, ne efficiatur criminis reus, cum teneatur eam ut uxorem corrigere, & ut publicè mœchantem, & non pœnitentem dimittere.

39. Oppones secundò: Fidelis est, qui amicorum crimina valet; ergo quia bonum est velare crimina; sed dum vir non dimittit uxorem mœchantem, velat illius crimen: ergo bonum est crimina uxoris velare; sed ex eò quòd sit bonum uxoris crimen velare, non tenetur vir

uxorem dimittere etiam fornicationis vitio: ergo nullo ex præcepto obstringitur vir ad dimittendam uxorem publicè mœchantem, & pœnitentiam non agentem.

40. Respondetur negando Consequentiam. Quia crimina tegere dupliciter contingere valet. Primò, dùm quis ea scit crimina, quæ aliis sunt occulta, & ipsis referare non vult. Secundò, dùm ea sunt nota, & aperta omnibus, & tamen dissimulando regit. Primum fidelitatis omninò censetur opus; secundum verò est criminis juramen. Undè vir dùm tenetur dimittere uxorem, non est propter adulterium occultum, aut publicum si ad pœnitentiam convertatur; sed propter publicum, in ipso perseverantem, de illoque non pœnitentem.

41. Ex toro hujus primæ distinctionis partis progressu observamus primò, quòd si vir dimiserit uxorem fornicationis causâ, aut è contra, alteram, eâ vivente, non valet ducere. Secundò, quòd sicut licet viro dimittere uxorem vitio fornicationis; sic licet uxori dimittere virum; si verò uterque mœchatur, alteri non licet alterum dimittere. Tertio, quòd tenetur conjux alterum publicè mœchantem, & pœnitentiam non agentem dimittere; secus si occultè adulteratur, & ad pœnitentiam convertitur. Quarto demùm, quòd possunt invicem amplius reconciliari. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

42. PRO SECUNDÆ verò, & ultimæ partis indaginæ, hoc secundum statuitur theoremata: *Vir non potest ducere uxorem, quam prius per adulterium polluit, si ipsa in viri mortem machinata fuerit; sive quæ mœchus dedit fidem, quòd eam duceret, si vir non supervixerit.* Hoc etenim assertum aliquibus Patrum autoritatibus summatim probat Magister.

43. Primò, ex Leone Papâ dist. 31. quæst. 1. cap. *nullus*, primam; secundamque theorematis partem his suadet verbis: *Nullus ducat in Matrimonium, quam prius polluit adulterio.* Ergo nequit vir ducere uxorem, quam prius per adulterium polluit, si ipsa machinata sit in mortem prioris mariti; & alter alteri, adhuc priori marito vivente, fidem de ducendo dederit.

44. Secundò, ex Concilio Tiburienti, cap. *relatum*, id ipsum probat, ubi talia connubia expressè prohibet, & anathematizat, ut claret ex litterâ: ergo non licet in Matrimonium ducere adulteram, cui mœchus fidem dedit contrahendi post mariti mortem; & præsertim si ipsa in illam machinata sit.

45. Sed oppones primò Augustinum lib. 1. de nuptiis, cap. 10. dicentem: *Mortuo eò, cum quò verum fuit conjugium, fieri potest conjugium*

gium cum qua præcessit adulterium. Ergo vir poterit licitè accipere uxorem, quam prius per adulterium polluit.

46. Respondet Magister, Augustinum fore exponendum de his, qui de peccato pœnituerunt, & nihil in mortem viri machinata sunt uxores, nec vivente viro fidem adulteræ dedit mœchus, quòd eam in conjugio duceret, si superviveret; at si vir aut uxor alicui ex his criminibus subjaceret, non posset eam licitè ducere.

47. Oppones secundò ipsum Augustinum lib. de bono conjug. cap. 14. sic alloquentem: *Possè fieri licitas nuptias ex personis illicitè conjunctis, honesto placito subsequenter manifestum est.* Sed dùm licitæ nuptiæ possunt fieri ex personis illicitè conjunctis, etiam valet in Matrimonium duci uxor, quam prius vir in adulterio polluit: ergo.

48. Respondet Magister, ipsum iterùm exponendo Augustinum, quòd non loquitur de nuptiis celebratis cum adulterâ, sed de concubinis, quas concedit posse transire ad honestum placitum nuptiarum, si castitatem, & fidem velint servare; sive quòd non censeatur illicitus transitus à concubinato fornicatione ad honestas nuptias.

49. Oppones tertio: Simplex adulterium non impedit, ut uxor licitè possit post mortem viri contrahere Matrimonium cum mœcho: ergo & licitum erit ipsi præstare fidem mœcho de connubio contrahendo. Consequentia probatur: Promissio sive uxoris fides de ducendo virum in Matrimonium, non solum non inducit illicitas nuptias, verum & Matrimonium ipsum præmunet: ergo licitum erit uxori præstare fidem mœcho de Matrimonio contrahendo; cum potius se reddat habilem, quam inhabilem.

50. Respondetur passim negando suppositum. Nam talis fides ab adulterâ promissa non est fides, sed infidelitas, eò quòd sit contra bonum fidei, quòd uxor est alligata viro pro toto tempore vitæ. Undè, cum à fidei promissione jam Matrimonia suum sibi asciscant exordium, & hujusmodi fides Matrimonio non congruat, sitque propriè infidelitas, non initiat, imò simpliciter inhabiles reddit, quin fides illa vana, ac callida pro Matrimonio contrahendo sit ipsis proficua, sed immodicè incommoda. Et hæc de secundâ, & ultimâ distinctionis parte sufficiant.

QUÆSTIONES.

51. **Q**UÆSTIO I. An propriâ autoritate possint conjuges divortii? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 35. q. *unic.* art. 4. & in *Supplem.* 3. p. 9. 62. art. 6. & *seqq.* Anton. à Spirit. S. tom. 1. tract. 11. disp. 10. sect. 7. Sotus in 4. dist. 36. q. *unic.* Tom. V. H art.

art. 3. Raynerius de Pisis tom. 1. verb. *divortium*, tit. 1. num. 4. & seqq. Mauritius de Lezana tom. 1. verb. *divortium*, num. 7. Salmant. tom. 2. tract. 9. cap. 16. punct. 1. & seqq. Reding tom. 8. q. 7. art. 2. Controv. 1. & seqq.

52. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 35. q. 1. Mastrius in 4. disp. 7. q. 22. art. 1. Macedo de Clavib. tract. 6. de Matrim. cap. 8. Portel in dub. Regular. verb. *divortium*, num. 1. & seqq. Cotonius tom. 1. lib. 5. Controv. 2. cap. 3. q. 1. & seqq. Castillenus in Polyantb. Seraph. verb. *divortium*, diff. 6. Brancatus de Laureâ disp. 42. de Matrim. art. 2. & seqq. Hiquæus in 4. dist. 33. art. 1. & seqq.

53. Ex Scholâ Eximiâ Dicastilo tom. 3. tract. 10. disp. 10. dub. 6. Henriquez lib. 11. cap. 17. Sanchez de Matrim. lib. 10. disp. 12. num. 31. Reginal. de Matrim. lib. 31. num. 324. Coninch. disp. 35. de Matrim. num. 2. Tambur. tom. 2. tract. 7. de Matrim. lib. 8. cap. 3. §. 4. & seqq. Carleton tom. 2. disp. 105. sect. 1. & 2. Mart. Perez disp. 56. sect. 2. Layman tract. 10. punct. 3. cap. 7. num. 1. & seqq.

54. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 35. q. 1. & seqq. Averfa de Matrim. q. 23. sect. 2. Basilius Ponce cap. 33. num. 7. Bonacina q. 4. punct. 5. num. 10. Bassæo tom. 2. verb. *divortium*, num. 4. & seqq. Baudunius tom. 3. q. 20. de Matrim. art. 1. & seqq. Gavardi tom. 6. q. 3. de Matrim. art. 9. & 10.

55. QUÆST. 2. An *divortium* sit licitum, & quas ob. causas? De quo, dist. 33. quest. 4.

56. QUÆST. 3. An possint, ac debeant conjuges *divortiri*? De quo, dist. 33. quest. 5.

57. QUÆST. 4. An adulterium sit semper causa sufficiens ad *divortium*? De quo, dist. 33. quest. 6.

58. QUÆST. 5. Ad quorum relationem, & testificationem *divortium* fieri debeat? De quo, dist. 33. quest. 4.

59. QUÆST. 6. An *divortium* differat à repudio? De quo, dist. 33. quest. 4.

60. QUÆST. 7. An & cur potius ex fornicatione, quam ex peccato alio *divortium* fieri debeat? De quo, dist. 33. quest. 6.

61. QUÆST. 8. An viro petente *divortium*, teneatur uxor in omnibus casibus excipere contra eum? De quo, dist. 33. quest. 6.

62. QUÆST. 9. An sicut in *divortio* vir & uxor ad paria iudicantur; sic in repudio iudicari debeant? De quo, dist. 33. quest. 6.

DE IMPEDIMENTO CONDITIONIS.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-SEXTÆ SYNOPSIS.

Quomodo conjugium impediatur servum esse, quotoque, Cuique anno liceat fœdus inire tori.

Sic incipit: Nunc de Conditione.

Sic terminat: Et primum de ordine.

1. **C**onnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de *divortio* fornicationis vitio celebrato, & hætenus in antecedentibus distinctionibus de impedimentis, quæ Matrimonium ipsum anteverunt, aut subsequuntur; sed in præsentī jam determinat de iis, quæ contingunt in ipso matrimoniali contractu; & primò de impedimento erroris conditionis servilis: igitur hæc distinctio connectitur cum superiori.

2. Consequentia probatur: Quemadmodum prius est agere de essentiali Matrimonii, quam de illius causâ materiali, sive personâ ipsum contrahente; sic prius est determinare de impedimentis, quæ Matrimonium ipsum immediatè attingunt, quam de iis, quæ conferunt ad causam materialem, sive personam; sed Magister hætenus agit de impedimentis, quæ Matrimonium immediatè attingunt, dum de antecedentibus, & subsequentibus ipsum determinat: ergo modò disserere de impedimentis, quæ ad ipsius causam materialem, sive personam conferunt, & primò de erroris conditionis servilis impedimento, reverà est rectum servare ordinem.

3. dividitur præsens distinctio in duas præcipuas partes. In quarum primâ Magister ostendit impedimentum Matrimonii ex parte erroris conditionis servilis. In secundâ verò, & ultimâ detegit impedimentum ex parte defectus ætatis.

4. PRO PRIMÆ igitur partis clarâ indagine, hæc prima proponitur thesis: Error conditionis servilis legalis, sive iure gentium introducta irritat Matrimonium. Quam seriò statuit Magister, dum resolvit,